



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 9. Papa fatis functo mutata Italiæ facies.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI. A.C. 1503. trinque contendendum exarsere studia,  
ut cunctis auffugientibus defuncti Pontificis cadaver solum relinqueretur, atque ipsimet Ministri Papales illud ad Altare majus deferre cogentur.

## §. IX.

*Papa fatis fundto mutata Italiae facies.*

*Raynald. ib.* Post Pontificis obitum ingens erat rerum vicissitudo; Sabellius enim Curiae Romanæ Præfectus cunctos, quos Papa defunctus carceribus mancipari iussit, libertati restituit; redeunt ergo ad suas ædes Ursini, qui Hispanos mensarios exspoliari jubent; septem quoque alii Principes ad suas quisque ditiones revertuntur; Vitellii Tifernum, Bagliones Perusium, Appiani Plumbinum, Mont-Felitrenses Urbinatem Ducatum, Vanellii Camerinum, Sfortiæ Pisaurum, ac denique Roverii Senogalliam repetunt: Incaffum tamen Romandiolæ Provincia ad pristini sui Principis obsequium, aut saltem Sedis Apostolicæ dominium redire sollicitabatur, civibus alterutri sese subjicere recusantibus, atque in Valentini Ducis fide non sine omnium admiratione persistentibus.

Cum



Sæcul. XVI.  
A.C. 1503.

Cum vero Urfini Romam reduces, adversus Columnenses, qui æque urbem repetebant, arma sumerent, res ad maximum belli civilis incendium spectare videbatur; unde Conclave dilatum est, quod tamen in ædibus Minervæ parabatur, ubi sexdecim Cardinales congregati Ragusinum Episcopum in Romæ Governatorem nominabant, adjectis in corporis sui custodiam ducentis satellitibus: Præterea Salernitanum Archiepiscopum S. R. Ecclesiæ Thesaurarium eligunt, atque rupto Alexandri VI. sigillo Piscatoris anulum Cardinali Casænovo Datario tradunt. Postea suppellectilis a defuncto Papa relictæ commentarium conscribunt, ubi, quamvis Michaelitius, quæcunque pretiosiora censebat, abstulisset, nihilominus tamen arcula viridi serico contexta reperiebatur, quæ nonnullas continebat gemmas plusquam viginti millium aureorum pretium æquantes.

## §. X.

*Gallorum exercitus Romæ proximus.*

Ingens, nec vanus Cardinales agitabat timor, ne Franciæ, ac Hispaniæ exercitus Romam invaderent, Conclavis libertatem præpedituri: Ludovicus enim urbem invadere jussit, jamque Helvetiorum

rum